



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Demetrius Mart. 26. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Octob.
cūm ē
ti suæ
vulne-
criptu-
lo in-
viisse.
re ve-
nibus
o suo
nt, &
nti sa-
igere.
er cu-
peret,
s jam
it an-
ebres
panæ
ita re-
eratur
or non
M.
nato-
is su-
tque,
ongè
um à
ove-
gym-
nico-
rum

15. Octob. VITÆ SANCTORVM. 523
rum consilio versus cubiculum adornat, & omnibus deliciis instruit ; addit mulierculas omni mundo muliebri præter verecundiam superbas. Inter has collocatus CHRYSANTHVS tunc demum in carcere esse se credidit & ingemuit. Quid faceret ? clypeum nempe (oculum clausum) objetit. Sed & cælum somno lenarum oculos obruit tam profundo, ut castitati facile esset dormientium manus evadere. At ecce novum duellum : DARIÆ virginis & formâ & literis cultissimæ committitur. Pergit tamen ille victoriis victorias accumulare, & sponsum experti promittit hunc, sed Christum. In has leges & pax & nuptiæ promittuntur: quæ ut festiviore apparatu fierent, plurimos ille juvenes, plurimas illa virgines ad castitatis amorem traxit. Enimvero hic demum furere Venus, & vinci toties tela sua indignata, tyrannum armare, jamque CHRYSANTHVM in carceres, DARIAM in lustrum trahere. Sed illum contra tormenta lux cælo allapsa, istam contra lenones leo defendit. Ultimò vivi terrâ obruti castissimi conjuges, primum thalamum, tumulum habuerunt. At olim degener Roma non castitatem, sed impudicitiam sic tumulabas. Ex Metaphr.

Fluxa & seductoria immundi hujus mundi blandimenta despice : minas ejus animi fortitudine supera : surgentia carnis incendia reprime : mentem virtutibus dilata : torporis frigus de corde depelle, & ad supernæ beatitudinis gaudium flammato desiderio suspira, S.Pet.Dam.serm.5.

S. DEMETRIUS MART. 26. Octobris.

NAtale solum DEMETRIO dedit Theffalonica, parentes nobilitatem, literarū studia laudem,

at militia denique totius Græciæ imperium, Christus illi semper in ore, hujus præco ipse Proconsul non dubitavit esse ; quo factum , ut passim ubique superstitionem in provinciâ suâ expugnabit. Debebatur illi ob res tam benè gestas triumphus. Sed hunc ille scilicet in carcere duxit. Corona ut non deesset sic triumphanti , hanc è cælo Angelus attulit. At ille non unâ contentus , sed plures sperare ausus, certamini suo alios præmisit. Et fortè ludos dabat Maximianus more suo cruentos. Lyæus staturâ & robore monstrum solus in quosvis pugnabat, numquam non victor. In hunc DEMETRIVS immittit Nestorem adolescentulum viribus longè inferiorem , cætera cruce frontem & pectus probè armatum. Hic portentosum gladiatore in arenâ porrexit. Sed per hujus latus Imperator se saucium sensit. Itaque in Nestorem gladio, in DEMETRIVM lanceis sœvit ; sed non ita, quin post mortem in ore omnium viveret. Nam chlamys Martyris sanguine tincta ægros contra omnes morbos armavit , & Lopus DEMETRII servulus cum anulum suum cruore domini, hoc est, gemmâ ornasset , compluribus deinde sanitatem eo impertiit , dum vitam pulchrâ pro Christo morte etiam ipse obsignavit. Ex Surio.

Habes arma, ô homo, quibus adversus hostes tuos utaris: quæ si ad salutem tibi data sp̄reveris, vicitus in die Iudicii quomodo te excuses non habebis. si adversus te corporis cupiditatem demon incitarit, temperantia th̄racem induito; si te lasciviae sagittis petierit, sume galeam castitatis. S. Ephrem de Ling.morb.

S. FUL-